



H. C. 100 b/1

Ex publica detractioe libror. Küchenmeisteri, Fri-  
berge habita a. 1840.

E BIBLIOTHECA  
FRID. ADOLPH. EBERTI

S. F.

ausst. d. regiam

~~Handlung 1200~~

IO. ANTHONII STRVBBERGII  
SERIES  
PROFESSORVM  
THEOLOGICÆ

QVI  
IN ILLVSTRI ACADEMIA JENENSI  
AB ILLIVS FVNDATIONE  
AD NOSTRA VSQVE TEMPORA  
VIXERVNT ET ADHVC VIVVNT.



---

JENÆ,  
ANNO M DCC XX.

*B. Christianus Grundmann*

Non invitus fane inter mortuos versor  
mortalis ipse. Dum enim aliorum ur-  
nas colligo, meam quoque urnulam ci-  
neresque devotus cogito. Et hac ipsa,  
quotidiana mortis meditatione homini  
mortali, imprimis Christiano, nihil prius  
esse debet, nihil posterius. Quando  
enim morimur, antequam morimur,  
non morimur, quando morimur.



ANNO M DCC XXV

AD MEMBRUM IV.

## CATALOGVS

Et concinna biographia omnium  
Theologiæ Professorum, qui in Academia  
Jenensi vixerunt & adhuc vivunt, ita  
concinatus

JOH. ANTHON. STRUBBERGIO.

**Q**uotiescunque L. B. gravis illa Apostoli  
Pauli admonitio \*, *μνημονεύετε τῶν  
ἠγορευμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν  
ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν  
ἐκβάσιν τῆς ἀνατροφῆς, μιμνήσθε τὴν πίσιν,*  
meæ occurrit memoria, toties illam mihi ad  
studia, Cl. virorum sive pastorum sive episcopo-  
rum \*\* merita, pietatem maxime & eruditio-  
nem, celebrandi, aliisque in exemplum propo-  
nendi ac memoriam illorum conservandi, acri-  
ores subdidisse faces, lubens non coacte fateor.  
Ipsa enim *ἐναργεια* clarius est, apostolum, di-  
vino agitatam spiritu, hisce nos hortari verbis  
ut præpositorum nostrorum memoriam celebremus,  
conservemus. Cum ergo hinc ingenio-  
sissimum poetam Ausonium \*\*\* vere scripsisse  
censeo, *nihil quicquam sanctius habere reveren-  
tiam superstitem, quam ut amissos venerabiliter  
recorderetur;* ego pro tenuitate mea tenuem hunc  
indicem, partim in eorum gratiam qui brevita-  
tem

A

tem

tem amant, partim etiam in exiguum quoddam supplementum ad vitas a b. Beiero & Zeumero (qui sua Beiero quoad maximam partem debet \*\*\*) conscriptas, concinnare volui. Accipe ergo L. B. hunc levidensem & ferme nullius momenti laborem eo, hoc est sincero, quo tibi offertur animo & expecta proxime eadem ratione coordinatum catalogum Professorum Juris, Medicinæ & Philosophiæ. Ceterum si Deus vitam & necessaria dederit subsidia, etiam aliquando tecum communicabo biographiam celeberrimorum quorundam Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum & Philosophorum in Academia Jenensi per aliquot temporis spatium extra Professoris P. munus viventium, ubi mihi differendum erit de doctoribus privatis, de doctis Jenensibus extra patriam promotis, de adjunctis, deque Magistris legentibus aliisque. Hæc te volebam lector, vale rectissime, & ad labores hosce manus auxiliatrices benevole præbe, meque amare perge.

\* Hebræ. XIII. v. 7.

\*\* Estius quidem Doctor Pontificius & Cl. Grotius ad h. l. per τὰς ἡγχαμένους præcise Episcopos intelligunt, ast nos omnes ecclesiæ pastores & doctores inclusos esse putamus conf. Hebr. XIII. v. 17.

\*\*\* præfatione in parentalia.

\*\*\*\* quod etiam recte censuit b. Tentzelius in bibliotheca curiosa 1705. p. 841,

## I. NICOL. ab AMBSDORFF.

Theologus generis splendore illustris, atque nobilitatis Misnicæ ornamentum prorsus eximium, n. 1483. d. 3. Dec. Magdeburgo Jenam venit, ubi 1548. & fundationi & inaugurationi Academiæ Jenensis interest, 1550. autem a filiis electoris Joh. Friderici constituitur Consiliarius & Superintendens, obiit *αγαπῶ* \* 1565. d. XIV. Maji æt. 82, jacet sepultus in templo parochiali Henaci \*\*

\* vide *Iren. Carpenterium*, (*b. e. Wagnerum*) de doctis cœlibibus p. 3.

\*\* Vitam & scripta pluribus propinant præter *Beierum*, *Zeumerum*, *Freberum* & *Buddeum* etiam *Adami* (sed judice Seckendorffio in H. L. satis jejune) in vitis Germ. Theol. p. 68. *Heinr. Pantaleon* in Prosopographia P. III. p. 156. *Rollius* in Biblioth. Nobil. Theol. p. 82. Adde Cl. *Goetzium* in dissert. de evangelii ministris a Luthero ordinatis p. 5. & reliquos a laudat. *Goetzio* l. c. p. 7. citatos autores, ut Cl. *Schöttegenium* in descriptione urbis episcopalis, quæ Wircena vocatur p. 746. & *C. F. Paulini* in rerum & antiquitatum Germanicarum syntagmate p. 152. seq. 199. sq.

## 2. PHILIPPVS MELANCHTON. \*

N. Brettæ in Palatinata inferiore 1497. d. 16. Febr. Magistri ornatus gradu Tubingæ 1513 Wittebergam ad docendum literas præsertim Græcas & latinas invitatus, Theol. & Philos. Professor in Gymnasio Jenensi 1547, ubi antea 1527. & 28.

A 2. *Wittembergam* in *Wittembergam* item

item 1535. & 36. jam docuerat, designatur, sed eodem anno abiit † 1560. ætat. 63. Theologus Philologus & Philosophus erat consummatissimus inque omni notionis literaturæ genere exquisitissime versatus. Pacem ubique quæsit, ut ex eo patet, quod sæpius dixerit: *a theologo contentioso libera nos Domine.* In theologia autem nimis tepidus & inconstans \*\* & ad Cryptocalvinismum inclinans apud nostrates indelebilem sibi attraxit maculam, sed apud Reformatos encomia innumerabilia. \*\*\* In Theologia homiletica parum exercitatus. \*\*\*\* Sed Astronomiæ judicariæ \*\*\*\*\* & Chiromantiæ \*\*\*\*\* juxta vitium illius seculi valde fuit deditus. Illum autem per aliquot temporis spatium pistorem egisse nonnulli \* ex pontificiis falso \*\* criminantur &c. \*\*\*

\* alias dictus Schwarz Erb, nomen vero Melanchtonis ipsi ob diligentiam in græcis imposuit Reuchlinus.

\*\* conf. b. J. Fr. Meieri disput. de lenitate Phil. Melanchtonis.

\*\*\* ipse Th. Beza in poemat. variis p. m. 58. illum *communem tum sacrarum tum humanarum literarum suo seculo parentem & innocentissimæ vitæ exemplum singulare* vocat.

\*\*\*\* interim tamen non contemnendas præceptiones de arte concionandi evulgavit, quarum tamen non meminit Zeumerus, sed extant tomo III. Opp. Georg. Majoris.

\*\*\*\*\* Compara sis ipsum Melanchtonem, præprimis in præfatione ad opera Mathematica Joh.



ca Joh. Schomeri 1561. iterum in forma majori edita.

\*\*\*\*\* quia studium chiromanticum Melanchtonis in vulgus notum est, nequeo mihi hic temperare, quo minus hoc loco singulare, hoc de illo ex collegio H. Ecclesiasticæ b. Schurtz-fleischii, in medium proferam *Philippus*, inquit *ist auch sehr human gewesen, wenn ihn ein Bürger zu sich gebeten, ist er bey ihn blieben, da hat er sich denn die Kinder zeigen lassen und ihnen die Hände besehen, so sagte er einsmabls zu einem Bürger dieses Bübgen würde gelehrt werden, da antwortete der Bürger Domine Philippe, Domine præceptor, es ist ein Mäddgen. Sonst ist gewiß, Melanchton ist eingeschikter Mann gewesen. &c.*

\* *Faciunt hoc Staphylus apostata & ipse Maimburgius, Laur. Surius, Nicol. Serarius, Jac. Gretserus, Ge. Gengel, & alii, compara Cl. Feuerlini obs. egregiam de Philippis, Melanchtone, nempe & Ignicuspido seu Gluespie Professoribus Wittebergens. quæ extat in Miscel. Lipsiensibus tom. VII. obs. Cl. adde C. H. Starckii tr. de doctorum vita privata.*

\*\* egregie hoc olim jam demonstravit b. Nicol. Selneccerus, & post illum alii, sed nuperrime ad invidiam usque puchre πρῶτον ψευδῶς detegit & alium quendam Philippum Wittebergensem Professorem sc. Gluespiem & Melanchtonis συγγεγονον ex enthusiastico impetu, pistorem factum esse, docuit laud. Feuerlinus l. c.

\*\*\* Vitam Melanchtonis diligenter admodum

dum & ornate perscripsit in pec. tr. *Joachimus Camerarius* (cujus optimæ editiones sunt de A. 1566. & de 1696.) cui addi possunt scriptores Historiæ Reformationis, etiam *Thuanus* Libr. XXVI. ad A. 1560. His jungas beat. *Fechtium* in apparatu ad Epistolas Marbachianas p. 50. sq.

Scripta autem quoad maximam partem conjunctim edidit *Casp. Peucerus* tom. IV. fol. Wittebergæ 1562 - - - 1573, horum vero recensioem vides in *Chronologia scriptorum Mel.* 1582. Gorlitz edita, adde *Zeumerum*, qui tamen varia omisit, & præprimis Cl. Abbatem *Fabritium* in elegantissima historiæ bibliothecæ Fabricianæ. Tom. I. p. 473. seq. Ceterum inter scripta eminent Loci illius Theologici, de quibus lege *Stieberi* Historiam Theologiæ dogmaticæ, *Relat. Innox.* 1711. p. 802. & Cl. *Mublii* dissertationes historico Theolog. p. 68. seqq. adde *Theolog. Wittebergens.* endlichen Bericht p. m. e. seq.

### 3. VICTORINVS STRIGELIVS.

Vir magnæ eruditionis sed sophista & Crypto-Calvinismi fautor atque promotor, nat. Sveviæ 1524. d. 26. Decembr. Ao. 1548. Jenæ obtinuit Professionem theologicam, anno 1557. litteram ipsi movit Elacius, Ao. 1559. cum aliis Leuchtenbergam in carcerem abductus, tandem 1562. liberatus autoritate Imperat. Maximil. II. Post Lipsiam sponte abiit ut Theol. Ethic. & Dial. Prof. sed ob doctrinam de S. cœna exorsus Ambergam discessit, post Heidelbergæ ut Theol. Prof. obiit 1569. \* Gener fuit Schnepfii. \*\*

\* vii

\* vitam & scripta præter *Zeumerum*, *Freherum*, *Buddeum* pl. exhibet vir multijugæ lectionis & eruditionis *Dn. Serpilius im Ebrer Gedächtnis unterschieden. Theologorum die in Schwaben gebobren Regensb. 1707. edit. p. 107. adde ejusdem Personalien Jesaiæ p. 560.*

Scriptis a Zeum. recensitis adde rationem discendi theologiam 1584. 8. & forsan alia.

\*\* minime Flacii ut existimat b. *D. Hartmann* in *Historia Conciliorum Tom. IV. p. 610.* Ceterum *Strigelius* haut simplici vice, vitulo *Schnepfi*, ipso non diffitente, feliciter aravit, vide ipsum *Strigel.* in præfat. ad *Com. in Jesaiam & Psalmos.*

4. D. JUSTVS JONAS \* *minime Jodocus coquus* \*\*

Theologus & Jctus \*\*\* egregius, orator copiose & ornate differens \*\*\*\* & *Luthero* præ reliquis dilectus n. *Northusæ* minime *Molhusæ* 1493. d. 5. Jul. Ao. 1521. Theol. D. ac Prof. item Pastor *Viteb.* constituitur. *Halam Saxonum* vocatus ecclesiæ inspectioni præfuit. Hinc abire iussus, venit *Jenam* & studia Theologica ibi promovit, obiit 1555. æt. 63. *Eisfeldiæ* ut præfectus Ecclesiæ & inspector ecclesiarum in ditione *Coburgensi.* Filius, itidem nomine *Justus*, *Haffniæ* decollatus. \*\*\*\* Patrem aliquando coquum egisse somniant nonnulli inter mendaces Pontificiorum scriptores, quas nugas tamen ipse *Spondanus* ad An. 1546. displodit. \*\*\*\*\*

\* Non confundendus cum *Jodoco Jona J. V.*

A 4

D. cu-

D. cujus mentio injicitur in Kindervaters Nordhufa Illuftri p. 118.

\*\* Jonam alias Jodocum coquum dictum fuiffe affirmat Dn. *le Long* in indice ad bibl. facram p. m. 649. fed errat maxime.

\*\*\* Ita enim Boiffardus fub effigie

*Justior ut Jona te non foret alter, utrunque  
Sacrorum aequae fovi jus tibi iuste paras.*

adde *Jacob Verheyden* in rariffimo opere quo exhibet praestantium aliquot Theologorum &c. effigies Hagæ Comit. 1612. fol. edit. p. 38.

\*\*\*\* ut audit Melanchtoni, inquiring, *Pomevanus est Grammaticus & verborum vim explarat; ego sum Logicus, monstro contextum rerum & argumenta. Justus Jonas est orator, copiose & ornate differit.* Conf. *Quenstedium* de Patriis Viror. Ill. p. 233. & p. 234.

\*\*\*\*\* vide praeter *Kindervater* l. c. p. 126. etiam *Micraëlium* in syntagmate H. E. P. III. p. m. 506.

\*\*\*\*\* Vitam exhibet *Zeumerus* & praepriis *Kindervater* l. c. aliique. B. *Job. Stigelius* sequens epitaphium illi posuit.

Imperii urbs natum me fert *Northufa* celebris,

Quæ servat summi dogmata pura Dei.

Nomen erat JUSTO cognomen nobile JONÆ,

Cura evangelium grata docere mibi.

Urbs Hieræ primum Musas me fovit amantem,

Mox clarum eloquii viribus *Albis* amat.

Addictum celebri dum me videt ille *Lutbero*

Ingenio merui nomen habere meo.

Hinc

Hinc iusta ad celebres egit me causa *Salinas* :  
*Doctorem excepit Francia læta senem.*  
 Et docui & vixi, monuit velut ante *Lutherus*,  
 Pectore salvificam fassus & ore fidem.  
*Grata meos legit cineres Eisfeldia*, mortem  
 Ante homines obii, vivo sed ante DEVM.  
 Scripta recenset *Zeumerus*, quibus adde versio-  
 nem *Jesu Siracidis & Ecclesiast.* quæ teste Cl. le  
 Long in *Biblioth. Sacra* p. m. 759. *Noribergæ*  
 1561. *Wittebergæ* 1548. in 8. & *Lipsiæ* 1597. in  
 12. prodiit.

5. M. GEORG. RORARIUS.

Vir integerrimus & scriptorum Lutheri col-  
 lector & corrector alacris & fidelis \* n. 1492. d. 1.  
 Oct. Omnium primus a *Luthero* 1525. ut diaco-  
 nus ecclesiæ *Wittebergensis* ordinatus. \*\* Cum  
*Bibliotheca Wittebergensi Jenam* venit, ubi &  
 primus bibliothecæ præfectus constituitur. Theo-  
 logiæ quidem professionem nunquam obtinuit,  
 studium tamen Theologicum multum heic pro-  
 movit, quare jure meritoque inter primos *Aca-*  
*dem. Jenens.* Theologos refertur † 1557. d. 24.  
 April. æt. 6. \*\*\*

\* ita laudatur a *Job. Wigando* episcopo *Po-*  
*mezanensi* in præfatione über den alten Abdruck  
*der Augspurgischen Confession*, adde *Wellerum*  
 tom. III. Opp. f. 172.

\*\* Compara sis ipsum *Lutherum* Tom. III.  
*Altenburg.* Opp. f. 303. & *Celeb. Polyhistoris*  
*Georg. Henr. Goetzii* dissertationem de evangelii  
*ministris a Luthero ordinatis* p. 4. & 5.

A 5

\*\*\* plu-

\*\*\* plura de illo, ejusdemque laboribus Wittenbergæ, Jenæ ac in Dania susceptis suppe- ditat præter *Beicrum, Zeumerum, Freberum &c.* Dn *Joh. Conr. Zeltnerus* in centuria correcto- rum in typographiis eruditorum p. 473. In epi- taphio quod illi scriptum est, teste *Gatzio* l. c. hæc leguntur verba:

*Vir gravis, atque animi purus, patiensque la- borum,*

*Scriba vigil, mentis, sancte Lutbere tua.*

6. JOH. ROSA.

Legit 1558. loco *Erhardi Schnepfi* & 1568. lo- co *Joh. Stoeffelii* extraordinarie collegia theo- logica,\*

\* Vide de illo in catalogo philosophorum.

7. D. ERHARDVS SCHNEPFIUS.

Theologus, ex elogio *b. Quenstedii*,\* sincerus, doctissimus & eloquentissimus atque in per- secutione evangelii constantissimus, n. Heil- bronæ 1495. d. 1. Nov. fit ex Juris studioso Theo- logus, deinde *Weinspergæ, Greichoiæ, Guttent- bergæ, Wimpinæ, Saraponti, Marpurgi, Stud- gardiæ & Tubingæ* docuit, denique autem ob in- terim exul in Saxoniam profectus, constituitur *Jenæ* Theol. & LL. O.O. Prof. ubi & statuta Fa- cult. Theol. condidit † ibidem 1558. æt. 63. \*\* fi- lium habuit *Theod. Schnepfium*.

\* de patriis vir. Illustr. p. 166.

\*\* Vitam & fata plurib. propinat præter *Zeum. &c.* *Serpilius* im *Ehren Gedächtniß etlicher Theo- logorum*, & *Fischlinus* in *memoria Theolog. Wür-*

sen-

tenberg. P. 1. p. 8. de commentario autem illius  
(iudice Luc. Osiandro) aureo in Psalmos com-  
para laud. Serpil. P. II. Commentar. in Ps. p. 417.

8. MATTHIAS FRANCO WITZIVS *cognom.*  
FLACCIUS *aut* FLACIVS *non* FLACCVS.

Natus Albonæ oppido Illyrici 1520. d. 2. Mar-  
tii. Mittitur Venetias. Baldus Lupatinus mo-  
nachatum dissuadet 1537, ejusque consilio Basi-  
leam adit 1539. Post 1544. Wittebergæ Magister  
creatus. Ao. 1546. Brunswigam ad docendum  
vocatus. Ao. 1547. Witebergam redit. Ao. 1548.  
Magdeburgum adiit, ubi typographiæ præfectus  
Centurias Magdeburgenses,\* adornare incipit.  
Jenam vocatus 1557. d. 27. April. disputat 1560.\*\*  
Vinariæ cum Strigelio.\*\*\* Ao. 1566.\*\*\*\* Ant-  
werpiam ad ecclesias constituendas abit. Obiit  
1575. 11. Mart. æt. 55, postquam prius colloquium  
cum Jacobo Colero in Silesia 1574.\*\*\*\*\* insti-  
tuerat. Ceterum Sacramentariorum & Crypto-  
Calvinistarum infensissimus hostis, a quibus et-  
iam tam male habitus ut nihil supra.\*\*\*\*\* In  
errorem autem de peccato originis \* incidit non  
temeritate & levitate animi, non fastu, non pru-  
ritu quodam aut studio innovandi quicquam in  
recepta ecclesiæ doctrina, ductus, sed occasione  
arduæ controversiæ & difficilis de libro arbitrio  
hominis non renati vel potius præter opinionem  
technis & fraudibus antachonistæ pertractus.\*\*  
Vir alias ex Rich. Montacutii elogio prodigiôsæ  
cujusdam industriæ & librorum helluo.\*\*\* De-  
nique vir summus & de ecclesia Christi extra-  
con-

controverfiam, cum in aliis studiis, tum inprimis in polemicis maxime adverfus Papiftas, \*\*\*\* Interimiftas & Sacramentarios egrogie meritis. \*\*\*\*\*

\* Historiam præftantiffimi hujus operis vide apud Celeb. *J. A. Schmidium* in confilio de Centur. Magdeb. emendatione, defenfione & continuatione Helmft. 1700. *B. Ittigium* in prolegom. ad H. Ecclef. Secul. I. post N. C. p. 1. *Cl. Fabricium* in Bibl. Fabriciana P. II. p. 424. *Hif. Junge Relat. innox.* 1710. p. 657. feq. *Cel. D. Sim. Job. Arnoldi* decus Magdeburgense Magdeb. 1715. evulg. Ceterum *b. Schurtzfeifch.* in Colleg. Hift. Ecclef. Osiandri epitomen harum centuriarum ipfi operi præfert, & *b. Tentzelius* varia collectanea ad hoc opus fpectantia in bibliotheca Guelpherbytana in Msto fuperesse refert in Biblioth. curiofa 1704. p. 437.

\*\* minime 1517. ut cum *Adami*, *Uhsenius* exiftimat, nec 1561. ut *M. Emmerlingius* de ftatu ecclefie Mansfeldicæ p. 83. fcribit.

\*\*\* Disputationis hujus hiftoriam in compendio dedit *b. Musæus* in prælect. fuper epitome F. C. p. 38. feq. & fere ad unum omnes fcriptores H. E. & theol. Polemicæ.

\*\*\*\* Cum *Sagittario*, *Adami*, *Beiero* & aliis *Zeumerus* hoc ad annum 1667. refert, quod tamen non eft, vide *Cl. Leuckfeldii* Hiftoriam Spangenberg. p. 27. adde ejusdem Hiftoriam Hammelmannianam p. 96.

\*\*\*\*\* Hujus colloquii hiftoriam ipfe *Colerus*  
Bero-



Berolini 1585. 4. evulgavit, excerpta vero ex rarissimo hoc libro dederunt autores *Relat. Innoc.* 1705. p. 651. & NB. postea etiam 1716. Dn. Prof. *Stolle* tom. I. Miscell. Lips. obs. 10. p. 83.

\*\*\*\*\* compara scholasticorum Wittebergen-  
sum responsionem in *Rel. Innoc.* 1710. p. 661. &  
maxime Theol. Witteberg. & Lips. endlichen  
Bericht, ubi p. m. d. audit *der undanckbare Ku-  
ckuck* &c.

\* de errore Flacii inspice b. *Musei* præfat.  
ad Clavem S. Scripturæ Flacii. Historiam autem  
controverfiæ Flacii & Flacianorum suppeditant  
autores *Relat. Innoc.* Ao. 1704. p. m. 710. adde  
omnino An. 1706. p. 247. & *Celeb. Mublium*  
in schediasmatibus sacris p. 82. itemque b. *Gerb.*  
*Titium* de errore Flacii contra peccatum originis  
Helmst. 1661. & Cl. *Bacmeisteri* acta Philippica  
1719. 4. Tubingæ evulgata.

\*\* ita recte judicat b. *Museus* in præfat. citata.

\*\*\* ita a *Montacutio* laudatur in præf. ad Orig.

Ecccl. n. 52.

\*\*\*\* quod solum evidentissime comprobat  
Clavis testium veritatis, quæ merito a beato  
*Spenero* in *Consilior. Theol. P. III.* p. 675. hoc  
elogio persequitur: *Flacii - - - catalogus testium  
veritatis opus est utilissimum, & testimonium in-  
finite pene lectionis, qua autor ille clavuit, me-  
liori inter nos sorte dignus.*

\*\*\*\*\* Plura de Flacii vita, fatis & scriptis  
præter communes biographos, lexicographos &  
H. Eccles. scriptores tradiderunt b. *Hartmann*  
in *Hist.*

in Hist. Concil. Tom. IV. p. 619. *Reimann*. Histor. Lit. Libr. 2. Sect. III. p. 646. *Wendler*. in disp. 1712. sub præsidio Sonntagii Altorffii de theologis &c. habita, adde Cl. *Fabricium* in Historia Bibl. Fabricianæ P. I. p. 272. cum reliquis ibi cit. autoribus. Judicia autem varia de illo collegit vir Max. Rev. Dn. *Serpilius* in recensione Commentat. in Psalm. Parte I. p. 597. quibus adjunge *Guil. Whitakerum* in responsione ad rationes Campiani, ubi de Flacio judicat, *virum hunc potuisse esse summum, si sua quaedam correxisset, & Carpzovium* in præfat. ad Pfeifferi Hermeneut. B. D. *Casp. Melissandri* confessionem de certamine Flaciano evulgavit vir, poeta & literator nostris temporibus elegantissimus, D. *J. H. Acker* Rudolstadii 1712. 8.

9. D. SIMON MUSÆVS *alias* Meußel.

N. Vetschæ prope Cotwitz 1521. succedit in Prof. Theol. D. Erh. Schnepfio 1558. a Strigelianis 1562. abire coactus, variis locis docuit & decempli exilio famigerabilis pius & probus hic vitæ obiit 1576. 11. Jul. æt. 55. \*

\* compara pl. *Leuckfeldum* in Historia Spangenbergensi p. 54. & 55. *Matth. Hansi* memor. concionator. Evangel. apud Wratislavienses & maxime *M. Adam Pantkes* pastores der Evangelischen Kirche zu St. Elisabeth in Breslau p. 12.

10. D. JOH WIGANDVS.

Selnecceri \* & Flacii \*\* hostis, sed Theologus judiciosissimus, qui judice b. *Himmelio* \*\*\* in describendo confutandoq; Anabapt. ecclesiæ utilem navavit

vavit operam. N. Mansfeldiæ 1523, vocatus 1560. Jenam ad Prof. Theol. dimissus Wismariam venit 1562. revocatur Jenam 1568. ut Theol. Prof. & Superintend. & iterum dimissus venit Brunsivigam 1573. post Prof. Theol. in Academ. Regiomontana, tandem 1578. episcopus Pomezanensis † 1587. æt. 64. \*\*\*\*

\* vide Cl. *Leuckfeldii* Gandersheimische Antiquitæten p. 319.

\*\* compara laud. *Leuckfeld.* in Historia Spangenbergensi p. 31. seq.

\*\*\* In colleg. Enthusiast. disp. 1. p. 8.

\*\*\*\* plura præter *Beierum*, *Zeumerum* &c. tradunt *Hartknoch.* in Hist. Eccles. Prussica L. II. Cap. 6. p. 501. *Celeb. J. A. Schmidius* in consilio de Centuriat. Magd. p. 3. adde *Leuckfeld.* l. c. p. 15. & 16. itemque *Fabritium* in Historia Bibl. Fabritianæ P. II. p. 426. & reliquos ab illo cit. auctores itemq; laud. *Serpilium* in personal. Jesaiæ p. 618.

## II. MATTH. JUDEX.

Dippolswalda Misnicus, nat. 1528. 22. Sept. Jenam vocatus Theol. Prof., remotus cum Flacio Wismariam abiit, post Rostochium vocatur, ubi † 1564. \* ætat. nondum XXXVII. d. II. Junii (sive 15. Maji) \*\*

\* *Micrelins* in Syntagmate H. E. P. III. Lib. III. Sect. II. p. m. 762, illum obiisse dicit 1587. æt. 79. sed non quadrat.

\*\* Vitam propinat pl. *Zeumer.* &c. cui adde *Fabritium* l. c. Part. II. p. 427. & *Andr. Schoppiii* ora-

ora-

orationem de vita Judicis apud Crenium Anim-  
advers. P. VI. 49.

12. D. JOH. STOSSELIVS.

N. Kitzingen in Franconia 1524. d. 23. Jun. Ao.  
1562. Jenæ Theol. Prof. Eccles. Antistes & Phil.  
Adjunctus constituitur, abiit vero clam ob Syner-  
gismum & Calvinismum. Fit Superintend. Pirnenf.  
Incidit ob abnegatam veritatem in periculosissi-  
mas & acerrimas tentationes, obiit tamen, quod  
sperandum, beatus \* 1576. 18. Mart. æt. 52. \*\*

\* quod non sine ratione colligo ex epistolis  
*Oswaldi Grellii* ad Joh. Cornicelium & Georgium  
Listenium, quæ extant in *Relat. Innox.* 1712.  
p. 611. seq.

\*\* Vitam propinant pl. præter Z. & alios, et-  
iam autores *Relat. Innox.* 1712. p. 580. seqq. ad-  
de D. G. H. *Gætzens Sendschreiben von hin und  
her zerstreuten Dresdnern* p. 152. seq. item *Ch.  
Wilischii* memorias Superintend. Pirnensium  
num. 2. & *M. Janum* de morte Apostatarum in  
*Miscel. Lips.* Tom. VI. p. 60. seq.

13. D. NICOL. SELNECCERVS.

Theologus ex elogio Cl. Gætzii valde exer-  
citus, \* & veritatis defensor ut modestissimus  
ita & constantissimus & merito inter primarios  
F. C. autores referendus, ast Calvinianis cuspis  
quasi in oculis. N. in oppido Hersbrück 1532. \*\*  
vocatus 1561. Jenam ad Prof. Theol. ast abiit 1570.  
Initio Philippistarum partes amplexus erat \*\*\*  
sed Chemnitius illum ad agnoscendam veritatem  
excitavit \*\*\*\* obiit Lipsiæ æt. LXII. A. 1592. \*\*\*\*\*

\* in

\* in ecloga Theologica de pervulgato illo D. Luther's Schue sind nicht allen Dorff-Priestern gerecht. p. 16.

\*\* ita probe sentiunt *Micraëlius* l. c. p. 782. item autores des compendiösen gelehrten Lexici p. 2079, & licet a Zeumero annus nativit. 1530. vocetur, tamen sibi ipse contradicit, dum inquit b. Selneccerum obiisse an. æt. LX. A. C. 1592.

\*\*\* vide Relat. innox. 1706. p. 547.

\*\*\*\* teste *Wendtero* in elegantissima disp. de præcip. secul. XVI. & XVII. Theologis p. 94. & 131.

\*\*\*\*\* Vitam & scripta plur. propinant *Zeumerus*, *Freberus*, *Adami* & alii, quibus omnino adde Max. Rev. *Serpilii* Personal. Jesaiæ p. 196. seq. & Partem II. Commentat. in Psalmos p. 429. - - - 448. itemque celeb. *Gætzii* dissertat. epistol. de Theolog. sub auspiciis novorum officiorum demortuis. Scriptis a Zeum, recensitis adjunge, 1) *Antwort auf das examen und Laster-Buch Germann Beyers von Hall 1580. 4. 2. pl.* 2) *der Prophet Esaias, vor den gemeinen Mann einfältig erkläret 1569. 4. 5c.* De hymnis b. Selnecceri in compendio conf. Cl. & doctissimi Schamelii indicem historicum in cantionale Numburgense p. m. 69.

#### 14. JOH. FRID. COELESTINVS.

Ex ephoro Hagiensi in Bavaria Prof. Theol. Jenens. 1568. interfuit colloquio Altenburgensi, Flacianismo infectus Austriam petiit 1572, quo anno forsan obiit. \*

B

\* vi

\* vitam quodammodo exhibet *Zeumerus* & *Freberus*, noster autem *Cœlestinus* non confundendus cum *Georgio*, qui *Historiam Comitiorum Augustæ 1530. celebratorum* evulgavit.

15. D. TILEM. HESHUSIVS.

N. Vefaliæ ad Rhenum 1526. d. 3. Nov. 1569. vocatur Jenam, ast dimissus venit 1574. Regiomont. † in academia Julia 1588. d. 26. Sept. æt. 62. \*

\* vitam præter *Zeumerum*, *Adami*, *Freberum*, *Buddeum* exposuere *Henr. Rollius* in tr. de nobil. Theologis p. 136. seq. b. *Zach. Grapius* in Rostochio Evangelico p. 143. seq. adde b. *Fechtii* apparatus ad epistolas *Marbachianas* (hodie non ubivis obvias) p. 89. *Serpilium* in den Personalien *Iesaiæ* p. 402. & part. II. Comment. in Ps. 125. *Godfridi* historisches Chronicon p. 1047; ex instituto autem de illo egit laud. *Leuckfeldius* in historia *Heshusiana* 1716. in 4. evulgata.

16. D. TIMOTHEVS KIRCHNERVS.

N. Tolstadii in comitatu *Gleichensi* 1533. d. VI. Jan. Ao. 1567. venit Jenam ut Prof. Theol. & *Ecclesiæ* pastor, ast 1571. *Gvelpherbytam* vocatus Jenam mittit, † ut *Superintendens Generalis Viniariensis* 1587. æt. 54. d. 14. Sept. \*

\* Scripta refert *Zeumerus*, quibus adde *Indicem* in *IIIX. tomos Lutheri* *Ienæ* 1583. in quo tamen, iudice *Cl. Fabritio* in *Historia Bibl. Fabritianæ* Tom. 1. p. 421. non omnia satis curate recenset. Vitam autem præter *Zeum.* *Freb.* & *Buddeum*

*deum* propinat *Leuckfeld* in antiquit. *Gandersheimens.* p. 324. seq. & *Fabritius* l. c. p. 463.

17. D. MARTINVS MIRVS.

Theologus pius & probus, cujus scripta homiletica pastoribus merito commendantur. N. 1532. *Weidæ* Varisc. Fit ex Diacono *Jenensi* 1573. Th. Prof., pie obdormivit 1593. æt. 61. sepultus *Dresdæ*.\*

\* confer *Freberum* & *Zeumerum*.

18. D. DAVID VOITIVS.

N. *Ronneburgi* 1530, docet *Jenæ* literas græcas, *Wittebergæ* renuntiatur Th. D. & discedit *Regiomontium*, revocatur *Jenam* 1573. ut Theol. prof. abiit iterum 1587, & animam exspiravit *Wittebergæ* 1589. æt. 60.

19. D. CASPAR. SARTORIVS.

N. *Ofchazi* in *Misnia*, *Jenæ* ab An. 1578-- 1588. egit Professore Theologiæ, obdormivit *Lipsiæ* 1609. d. 14. Septemb.

20. D. JOH. AVENARIVS *alias Habermann.*

Theologus pientissimus & variis asceticis scriptis clarus, \* n. *Egræ* in *Bohemia* 1516, ex Pastore *Freibergensi* constituitur Pastor *Jenensis*, ubi 1574. SS. Theol. D. renuntiatur, publice tamen Theologiam in hac Academia fortasse nunquam docuit, moritur ut *Superintendens* *Ci- zensis* 1590. æt. 74. \*\*

\* extant enim illius libri precatoriï perquam egregii, de quibus alias, huc quoque aliquo modo referri potest vita Christi ex lingua germanica in Bohemicam, & ex illa a David. Crinito

Nepomucao ab Hlavaczova in latinam translata & Pragæ edita 1583. in 12.

\*\* vitam pluribus propinat *Freherus & Zeumerus.*

21. HIERONYMVS OPITIVS.

Rosbinensis Misnicus, constituitur Theol. Prof. Jenæ 1574. ubi 1577. obiit. \*

\* Vide Zeumerum p. 92. cui adde celeb. Polyhistoris *Gætzii Sendschreiben von unterschiedenen 50. jährigen Predigern* 1712. edit. p. 59. nobis quoque aliquando de hujus & aliorum Opitiorum vitis differendum erit in additament. ad *lexicon compendiosum de vitis eruditorum vulgo das compendieuse Gelehrten Lexicon.*

22. D. AMBROS. REUDENIUS,

N. Groitschii in Misnia 1543, designatur 1586. Theologiæ Professor in Academia Jenensi ubi † 1615. \*

\* compara pl. *Zeumerum & Lexicon cit.* p. 1853. cum reliquis ibidem citatis autoribus.

23. CHRISTOPH. HAMMER.

Philologus eximius, n. Hilpershusæ 1550, Ao. 1583. constituitur in Acad. Jenensi Prof. LL. OO. & 1584. in facult. Theol. receptus. † 1597. æt. 47. d. 10. Martii.

\* Biographiam Hammeri pluribus exhibet post *Zeumerum Cl. Gætzii* in *elogiis Philologorum.*

24. D. GEORG. MYLIVS.

N. Augustæ Vindellicorum 1548. constituitur in Patria Pastor ad St. Crucis &c. vocatur denique 1589. Jenam ut Prof. Theol. Primar. discedit



dit autem Wittebergam 1603, ubi † 1607. \*  
Theologus a pontificiis mirum in modum vexatus, sed ab eorum insidiis a Deo liberatus.

\* Vitam propinant *Zeumerus*, *Buddeus*, *Freberus* &c. quibus adde *Serpilii* Ehren Gedächtnis einiger Theologorum.

### 25. D. SAMVEL FISCHER.

N. in vall. Joachim. 1547. d. 25. Nov. post varia munera 1589 constituitur Theol. Profess. Jenensis & Superintendens, ubi 1600. d. 23. Junii inter vivos esse desit. \*

\* Præc. *Zeumerum* vitam Fischeri quodammodo exhibet Dn. *J. M. Weinrichius* im Hennebergischen Kirchen- und Schulen Staat nuperime edit. p. 566. adde p. 476. & 477.

### 26. D. JOH. DEBELIVS.

N. Rhemdaë in Thuringia 1540. mens. April. Ao. 1569. ad professionem Philos. Jenæ vocatur, pellitur in exilium 1573, docet Helmstadiaë, sic Superintendens Gleichensis, sed 1605. (minime 1650) Jenam ad Prof. Theol. revocatur, ubi morbo extinguitur 1610. æt. 70. \*

\* Hæc & alia de Debelio tradunt *Zeumerus*, *Freberus* & alii.

### 27. D. PETRVS PISCATOR.

N. Hanoviaë d. 7. April. 1571. Jenæ renunciatur Mag. 1594, & 1597. constituitur LL. OO.P.P. & 1605. in collegium Theol. recipitur, animam efflavit Jena 1611. æt. 40. Theologus & Philologus fuit optimus. \*

B 3

\* Re-

\* Reliqua de Piscatore nostro enarrant *Zeumer*, *Freberus*, *Uhsenius* aliique.

28. D. ALBERTVS GRAUERUS.

Ob scripta polemica clypeus & gladius Lutheranismi dictus. N. Meseviciæ prope Perlebergam 1575. d. 31. April. post alia munera Prof. Theol. P. in Academia Jenensi 1611. constituitur, sed 1616. Vinariam ut Superintend. General. abiit † 1617. d. 30. Novemb. æt. 43. \*

\* Vitam propinant *Buddeus*, *Freberus* & *Zeumerus* qui & scripta enarrant, in Msto autem se opus *Metaphysicum* & *Logicum* possidere testatur illustris Gymnas. Osnabrugens. Rector Zach. Goetzius in Museo Goetziano p. 278. quod opus tamen præter collegium aliquod academicum forsitan nihil erit.

29. D. JOH. MAJOR.

N. Reinstadii in Orlamundana Diocesi 1564. d. 26. Dec. Diaconatum Vinariensem obtinet 1592. sed 1603. Pastor & Superintendens Ecclesiæ Jenensis & 1611. Theol. Prof. constituitur † 1654. æt. 90. \*

\* Qui pluribus vitæ curriculum nostri Majoris, qui non confundendus cum aliis ejusdem nominis, legere cupit, adire potest præter *Buddeum*, *Freberum*, *Zeumerum* aliosque etiam *Blumium* in Jubil. Theol. p. 127.

30. D. IOH. GERHARDUS.

Theologus ορ. Θεολογικῶν, vir magni laboris & penetrantis \* judicii, labore alter Origenes vir sane χαλκύτερος sive Adamantinus, qui judi-

judice b. Gryphio \*\* pietatis & doctrinae fama  
super æthera notus. Nat. Quedlinburgæ 1582,  
in utero matris magno periculo obnoxius, sed  
mirifice conservatus, \*\*\* studio Medico se pri-  
mum dedit, sed voti memor studio Theologico  
incumbit, 1616. ex Superintendent. Generali Co-  
burgens. fit Prof. Theol. Jenensis, in quo officio  
obiit \*\*\*\* 1637. ætat. 55. \*\*\*\*\*

\* Sam. Andreae quidem Theolog. Reformatus  
in disp. de sepult. Adami p. 17. ipse judicio de-  
stitutus ita delirat: *Gerhardus clarissimus qui-  
dem, sed majoris laboris quam judicii Theologus  
&c.*

\*\* In apparatu & scriptoribus historiam Se-  
culi XVII. illustrantibus Lipsiæ 1715. p. 128.

\*\*\* Compara sis præter Zeumerum etiam  
*Pfeifferi* eruditum *Γαυμασov* in ætate tenera,  
Sect. I. cap. I.

\*\*\*\* Ut singulare quod de moribundo Ger-  
hardo, aliquoties jam laud. *Wendlerus* in dissert.  
cit. p. 149. hæc refert: *credo, inquit non ubivis  
de Gerhardo obvium esse, quod diem jam supro-  
mum obiens tres nominaverit præclare doctos vi-  
ros, eosque dignos censuerit, ut unus eorum sur-  
rogaretur. Inter hos nominatos, & Salomon  
Glassius, Gerhardi postea successor, dicitur fuisse,  
quem Jena ante XII. annos discedentem Gerhar-  
dus carmine propempico profecutus, inter alios  
versus & hoc distichon presagiendo posuerat:*

*Te successorem tacita mihi vice notabam*

*Et Patrem teneris post mea fata meis.*

\*\*\*\*\* Hæc pauca de vita Gerhardi delibasse nobis sufficiat, qui alias dignus quod vita ejus ex instituto ab aliquo describeretur, interim tamen conferri merentur *Fabricius* in *Historia biblioth. Fabricianæ* P. II. p. 178. laud. *Wendlerus* l. c. *Witte* in in memor. *Theol. Germ.* decade III. p. 393. & alii. Scripta prolixè refert *Zeumerus*, inter quæ eminent (1) Schola pietatis, (2) confessio catholica, (3) LL. Theologici (4) etiam continuatio Harmoniæ evangel. Chemnitio Lyserianæ & (5) Dispp. Academicæ, & licet hæc scripta censuram ast rusticam G. & aliorum non effugerint, legi tamen immo & relegi merentur.

31. D. IOH. HIMMELIVS.

Nat. Stolpæ 1581. d. 27. Dec. A. 1608. ad rectoratum Gymnasii Durlacensis vocatus & 1612. Rector & Prof. Gymnasii Spirensis ac ibidem 1614. Pastor Primar. constitutus. Jenæ Prof. Theol. 1617. factus † 1642. d. 31. Mart. æt. 61. \*

\* Vitam desideranti pluribus dabunt *Zeumerus*, *Freherus*, *Wittenius* aliique.

32. D. SALOMO GLASSIVS.

N. Sandershusii 1593. d. 30. Maji, Jenam adit 1612. & 1615. Wittebergam, redit autem Ienam 1616, constituitur ibidem 1619. Prof. LL. Græcæ & Hebraicæ & 1625. Superintendens Sandershusanus, sed 1628. revocatus Ienam ut Prof. Theol. abiit tamen ut Superintendens Gotham 1640. obiit 1656. variis scriptis, præcipue vero Philologia S. \* clarus & cum b. Gerardo præcipuus

Bi.

Biblior. Vinariensium \*\* autor. *Vir* alias, ex  
 elogio Cl. Fabricii \*\*\* *probus, pius, lenis, mode-*  
*stus, inculpatus & variis calamitatibus probatus.*  
 \*\*\*\*

\* Cujus præstantissima & nitidissima editio  
 est, quæ cum elegantiss. præfatione celeb. Bud-  
 dei 1715. prodiit, reliquas editiones recenset Fa-  
 bricius in Histor. B. Fabricianæ T. III. p. 349;  
 enucleatius vero evulgavit illam M. Henr. Philip.  
 Hervvartus Francof. & Ienæ 1675. in 8. & ante  
 aliquot annos, si me memoria non plane fal-  
 lit, etiam Pfeifferus cum præfat. Celeb. Pritii in 8.

\*\* Compara de hoc opere Relat. Innox. 1704.  
 p. m. 398. , 1708. p. 105. & An. 1714. p. 553. item-  
 que celeb. senem Georg. Mich. Pfefferkorn,  
 (*Vir præcipue variarum cantilenarum clarus, ex*  
*quibus cantilena was frag ich, nach der Welt a te-*  
*nera adate meum delictum, meum solatium, cer-*  
*tissimum, verissimum, perpetuum*) in Chron.  
 Thuring. p. 105, quibus adde sis Zach. Gætzius  
 in dissertat. de nummis p. 388. in primis autem  
 Celeb. Fabricium in Part. I. Bibl. Fabricianæ p.  
 30. seq. & citatos ibidem autores.

\*\*\* l. c. Tom. III. p. 353.

\*\*\*\* Vide pluribus Spitzelii templum hono-  
 ris p. 217. Wittenium in memor. Theol. p. 1199.  
 adde Serpilius in personaliis Iesaiæ p. 384. item  
 parte II. Comment. in Psalmos p. 53. & Fabri-  
 cium l. c. p. 355.

33. IOH. MICH. DILLHERUS.

Theologus pientissimus & philologus excel-  
 len-

lentissimus, ab Augustissimo Leopoldo aurea catena donatus \* n. Themas in comitatu Hennebergico, 1604. d. 14. Oct. obtinet 1640. ienæ professionem extraordinariam Theologiæ, vocatus vero Noribergam discedit 1641. ubi spiritum emittit 1669. æt. 65. \*\* Ceterum se Theologiam exegeticam & practicam in officio sacro didicisse ipse non diffitetur \*\*\*

\* De quo singularia enarrant Rel. Innoc. 1708. p. 712.

\*\* vide plura de illo in catalogo Philosophorum. Interim tamen me vix ac ne quidem vix temperare queo, quo minus sequentia ex programme quodam 1719. a Dn. Zacharia Goetzio, præceptore quondam nunc fautore honorificentissimo, Osnabrugæ edito heic repetam, quæ nec injucunda nec ingrata ulli erunt: Ita autem laudatus vir de Dilhero nostro loquitur: Matrem, inquit, habuit Reginam, Josephi Goetzii, Administratoris collegii Munerstatensis in Franconia filiam, cui, cum anno 13. ætatis suæ, animam agenti, & sacris lectionibus & piis precibus assisteret, illa ad eum ita: *Mein lieber Michael, vor dich bin ich nicht bekümmert, du wirst aller Orten in der Welt Eltern finden, du must aber ein Geistlicher werden, und ob du gleich viel wirst müssen ausstehen, wird dich doch der liebe Gott nicht ohne Trost lassen.* Cum Schlenkingæ, pergit, quidam ex Præceptoribus sæpius ipsum sine causa nimis aspere tractaret, & propterea ille studia deserere sibi proponeret, alius

ex

ex Lycæ moderatoribus ipsi animum relevabat  
 sequentem in modum, *mein lieber Sohn, leide  
 doch das Unrecht, so dir der Mann zufüget, ge-  
 duldig, es sollen nicht viele Jahr vorbey gehen,  
 so solt du mehr seyn als alle deine Præceptores.*  
 Jena proficiscens Noribergam Matthiæ Bertra-  
 mo & commilitonibus prospera quæque præ-  
 cantibus responsum reddebat extemporaneum  
 hocce:

*Nunquam ego ratus sum, Fratres dulcissimi,  
 ut campus hic locum dicendi, & discessus felici-  
 tatem, ac itineris incolumitatem comprecandi,  
 Vobis theatrum præberet. Quid enim tantiro-  
 boris aestimassẽ, quod ab illa cathedra mea, ex  
 qua toties docentem attentissimi audivistis, avul-  
 leret? a vestri conspectu jucundissimo subduce-  
 ret? ex amplexu suavissimo eriperet? Vobis &  
 vestri similibus, hoc est, studiosis mensuram ele-  
 gantissimi nominis sui reapse implentibus, me &  
 mea omnia, jam olim devovi: de Sparta alia  
 ne quidem cogitavi: oblatam sæpius honorifice,  
 qua debui, modestia recusavi: idque unice toto  
 pectore optavi, ut in Universitatis Salanae, tan-  
 quam blandæ matris gremio, & viverem & ex-  
 spirarem, grande laboris mei pretium adeptus  
 cum illustrissimorum Ducum & Heroarum gloriosis-  
 simorum; Dominorum meorum clementissimorum  
 gratiam paternam, Collegarum Excellentissimo-  
 rum adfectum illibatum & Vestrum in me amo-  
 rem fraternum invenissem. His apud animum  
 meum nihil poteram habere charius. Verum enim  
 vero*

vero Deo visum aliter : qui voluntatem suam  
 tam evidentibus mihi argumentis ostendit, ut,  
 absque impietatis nota, contraire non potuerim.  
 Ergo (ah! triste verbum!) abeundum. Per au-  
 tem vos, Fratres dulcissimi, quaecunque necessaria  
 fratres jungunt fratribus precor quasoque: ne  
 male ominemini. Quantillus ego sum, quem  
 tanti fecistis? Mittet vobis Doctor Doctorum Je-  
 sus hujusmodi Successorem, qui sua eruditione  
 ac diligentia, Dilberri discessum diu luctuosum  
 atque acerbum esse non permittat. Excubabit  
 Inviictissimus Israelis Custos super Sionem Thurin-  
 giacam: ac Universitatem urbemque Jenensem  
 non sinet conturbari. Redite ergo fratres dulcis-  
 simi: nunciate Salanis meis: Coelestes, ita velle,  
 ut Jena sit firma, salva, felix, & ut perpetua  
 sit doctorum in ea Virorum successio. Meo abitu,  
 quam vellem ne contristaremini: Sed qui leti  
 esse sustineretis; Cum in vultum meum tam  
 tristem intuemini? Manebit Vestri omnium in  
 animo meo memoria indelebilis, nec mea morte  
 terminanda, nec vel cineribus meis extorquenda.  
 Beatam deprecabo diem istam, qua etiam ab-  
 sens innumerabilia amoris & observantiae docu-  
 menta potuero demereri. Ne credite Fratres  
 dulcissimi, fidem meam tam leviter fundatam,  
 ut, ubi sim, quam qui sim, magis referat. Ex-  
 cidat Deo meo memoria mei, si Jena mihi exci-  
 derit! Sed quid augeo dolorem multiloquio?

O ter chare vale studiosae concio gentis!

His animi fibris insita Jena, vale!

Qua-



*Quadrupedante sono pete jam linguenda, caballe,*

*Rura hæc : sessorem Norica terra vocat.*

\*\*\* compara conterranei nostri magnopere colendi Viri Max. Rev. Dn. Meuschenii in *eleganti tr. von der Reformation der Universitäten und Schulen* p. m. 119. seq. His ea nunc addo quæ Dn. Schamelius l. c. p. 22. ita de Dillhero refert : *mir ist auch gesaget worden von einen gelehrten Manne, daß er seine Predigten überlaut in seinem Museo vorher memoriret und recitiret habe.*

34. D. GODOFR. CUNDISIUS.

N. Radebergæ 1599. d. 11. Sept. constituitur 1643. Jenæ Theol. Profess. & sub ipsa concione apoplexia ictus spiritum emisit 1651. æt. 52. \*

\* Vide reliqua apud Zeumerum & Goetziium in *elogiis quorundam Theologorum Lubeck* 1708. in 8. num. VII.

35. D. IOHANNES MVSÆVS.

Theologus ορθοδοξωτατος & pientissimus ac philosophus acutissimus, sed a b. Calovio aliisque \* sæpe ultra modum male habitus \*\* ac atroces invidiæ & intempestivi zeli morsus expertus, attamen a viris cordatioribus adhuc \*\*\* ob scripta \*\*\*\* illius *αρεβεςοτατα* multum æstimatus. N. Longoprati in ditione Schvartzburgica 1613. d. 7. Febr. Ao. 1643. constituitur Historiarum & Poeseos Prof. O. sed 1646. Theol. P. O. † 1681. 4. Maji æt. 68. \*\*\*\*\*

\* Varia loca hanc in rem refert Dn. Ezardus  
in

in der Untersuchung des Moderaminis inculpa-  
tæ tutelæ celeb. Dn. nostri Buddei p. II. §. 6.

\*\* Quod de b. Calovio ipse b. Meisnerus  
Theolog. Wittebergenf. & Calovii Collega non  
diffitetur, qui in epistola Mst. 1672. ad Georg.  
Holyck Bohemorum exulum scripta hæc habet:  
*mirum non est eum (sc. Calovium) in me tanto-  
pere debachari, qui in plures alios ipso longe  
prestantiores, velut alter quidam Aristarchus &  
inofficiosus censor virgulam suam censuream ex-  
erceat, nam singulis fere concionibus & disputa-  
tionibus & orationibus etiam nulla data occasio-  
ne Helmstadiensis & nunc etiam Jenenses in pri-  
mis D. Museum etiam nominibus expressis alla-  
tat & damnat etiam in iis punctis quibus re-  
de docet, saltem ut habeat quibus viperinos den-  
tes ipsi infigat, quod ipsi sollemne est. &c.*

\*\*\* Varia elogia de illo collegit Max. Rev.  
Serpilius in personal. Iesaiæ p. 457 - 461.

\*\*\*\* Quorum varia posthuma sunt v. g. 1)  
*tract. elegantissimus de consanguinitate & affinita-  
te ab Im. Proeleo cum præfat. de fundamentis  
dispensationum in causa matrimon. evulg. Lipsiæ  
in 8. 5 1/2 pl. 2) prælectiones in epitomen F. C.  
Ienæ 1701. in 4. 2. Al. 3) collegium controversia-  
rum 1701. 4. 3. Alph. 4) Commentarius in Ie-  
saiam a viro pl. rev. Dn. Schulerburgio nuper  
procurat. &c. avendota quoque supersunt varia,  
quæ iudice b. Beckio Theologo Ullmensi in disp.  
I. de Paulo oratore querulo sect. 2. dignissima  
sunt, quæ lucem videant; ego itaque si Deus  
mihi*

mibi adhuc valde juveni vitam prorogaverit & meos exiguos quidem sed perpetuos per diem noctemque catenatos labores lector candide εὐγνώμωνος interpretatus fueris, D. V. aliquando ut, in aliorum usum prælectiones b. Musæi in Augustanam C. variis Mstis prius collatas accurate cum indicibus necessariis typis exscribantur, curabo. ♣

\*\*\*\*\* Vitam tradiderunt *Zeumerus*, *Wittenius* in Memor. Theol. p. 2069. aliique.

36. D. JOH. TOBIAS MAIOR.

N. Ienæ 1615. patre Johanne (vide supra num. 29) constituitur ibidem Prof. Th. Extr. 1645. (minime 1655.) & 1646. ordin. † 1655. αγαμος \* d. 25. Apr. æt. 40. \*\*

\* vide *Carpenterium* in Centuria erud. Cœlib. p. 36.

\*\* conf. pl. *Freberum* in Theatro p. 573. *Wittenii* memor. Theol. Dec. IIX. p. 1081. seq. & *Zeumerum* l. c.

37. D. CHRIST. CHEMNITIVS.

Vir qui commodis studiorum promovendis, de quibus præclarissime meritus, natus factusque, gener magni Gerhardi n. Kœnigsfeldæ in Misnia 1615. d. 17. Jan. constituitur rector scholæ Jenenfis 1638. d. 14. Sept. An. 1643. Diaconus Vinarieus, 1645. Archidiaconus, coadjutor Joh. Majori 1652. datus & eodem anno Theol. Doctoris & Profess. nomen obtinet † 1666. æt. 51. \*

\* Vi-

\* Vitam hujus viri describere Zeumerus, Freberus, Wittenius, Buddeus &c.

38. D. JOH. ERN. GERHARDVS.  
Vir, ex elogio Cl. Fabritii\*, pius & religiosus, variae ac multiplicis doctrinae, in docendo industrius, magno in promovendis aliorum commodis ardore, studiosus pacis & concordiae, liberalis erga egenos & beneficus erga omnes, alacer & promptus in rebus non minus expediendis quam suscipiendis, magno apud suos cultu & honore, nec minore apud externos fama. N. Ienae 1621. d. 15. Dec. Patre Iohanne, Theologo sine pari, obtinet in patria Professionem historicam 1652. & 1655. Theologicam, decessit febr. ardenti 1668. d. 24. Febr. æt. 47. \*\* Reliquit filium patri & avo perquam similem, sed eheu in vigore ætatis, eruditus 1707. ereptum.

\* Vide Historiam Bibl. Fabritianæ P. II. p. 362.

\*\* compara pl. Wittenium in vitis Theol. p. 1600. & Fabritium l. c.

39. D. SEB. NIEMANN.  
Theologus in exegeticis versatissimus\* n. Lubecæ 1625. patre Sebastiano mercatore An. 1657. Th. D. Jenæ renunciatur, & mox ibidem Theol. Prof. Extr. & Pastor ac paulo post ordinarius, emortuo quoque b. Chemnitio ecclesiae Superintendens & consistorii Assessor constituitur, attamen 1676. ad officium ecclesiarum per Slesvic. & Holsat. Duc. Superintendent. Generalis &c. vocatus, discedit † 1684. d. 6. Martii ætat. 59.

\* Quod

\* Quod ex variis disputationibus super Di-  
cta biblica habitis & eleganter elaboratis oppi-  
do quidem constat; sed magis hoc confirmat  
corroboratque collegium quoddam Mstum, in  
quo ultra 1000. loca difficiliora Sacrarum Pande-  
ctarum dilucide ac perquam egregie explicantur.  
Possideo collegium illud, quod me iudice typis  
exscribi meretur semel in forma majori & semel  
in forma quam quartam vocant, si quis ergo  
hunc laborem in memoriam & honorem beati viri  
evulgare animum induceret, me semper ad colla-  
tionem ac communicationem paratum prom-  
tumque habebit. Ceterum hoc observo quod  
cum exemplari meo, quod in folio est, com-  
pacta sit dissertatio prolixa & haut ineleganter  
elaborata de *genealogia Christi*, an ista sit typis  
jam exscripta nescio quidem, nullus tamen du-  
bito quin b. Niemannus disputat, illius sit autor.

\*\* Vitam pl. propinat Summe Rev. *Pippin-  
gus* in *Memoriis Theol. Decad. 1. num. 2. Zeu-  
merus l. c. & alii.*

40. D. FRIDEM. BECHMANNUS,

Theologus, qui, cum in vivis, donum per-  
spicuitatis supra modum possidebat, & cui res  
difficiles & obscuras explicare dilucide, tam erat  
proprium, quam lucere soli, \* nat. Ellebii Thu-  
ring. 1628. constit. 1656. d. 16. Ian. Ienæ Logi-  
ces & Metaphysices P., ast 1663. Prof. Theol.  
Ordin. gener beati Frischmuthi, † 1703. d. 9.  
Martii ætat. 75. \*\*

\* Quod illius in publicum emissa scripta ad-  
huc

C

huc evidentissime docent, inter quæ reliquis dubiam reddit palmam Theol. polemica, quæ tertia vice 1710. cum præf. Sum. Rev. Buddei prodiit & iterum 1719. 4. 6. Alph. 13. pl.

\*\* Vitæ curriculum b. Bechmanni consignavit *Zeumerus* l. c. & max. Rev. *Pippingius* decade IIX. Memor. n. IIX.

41. D. IOH. GVIL. BAIERUS.

N. Noribergæ 1647. , constituitur loco Seb. Niemanni 1673. Theol. Prof. 1694. adiit Halam. ut Theol. Prof. Primar. sed 1695. Vinariam vocatur ut Consil. Eccles. Conc. aul. supremus, Superintend. Generalis & ad d. Petri & Pauli pastor Primarius, obiit quidem 1995. die 19. Oct. æt. 48. ast vivit adhuc in scriptis perquam egregiis \* & filiis præstantissimis \*\*. Matrimonium iniiit 1674. cum Anna Catharina Musæi filia \*\*\*

\* Egregias enim contra Pontificios & Quaceros evulgavit disputationes, & alia quædam, ast instar omnium est compendium Theologiæ positivæ cuius IX. jam prostant editiones, quæ a me recensentur in præfatione ad tabulas synopticas super hoc compendium elaboratas.

\*\* Sunt illi, vir Summe Rev. & maxime moderatus ac in rebus physicis experientissimus *Job. Wilhelmus* in Academia Altdorfina Theol. P.P.O. 2) vir Excellent. *Johan. Jacobus* Medicinæ P. P. O. in eadem Academia & 3) *Job. David* pastor Vinariensis bene merentissimus.

\*\*\* Vitam & fata dabunt pl. vir Summe Rev. *D. Pippingius* in memoriis Theol. p. 614. seqq. & in

& in compendio M. Samuel. Coryli alias  
Nitschmann in his versibus:

*Baierum Noriberga dedit, sibi vendicat illum  
Jena dein Hall, mox Vinaria atque Polus.*

42. D. WILHELMVS ZESCHIVS.

Curriculum vitæ illius exhibet Sum. Rev. Præ-  
sul Dn. Züllichius in seq. epitaphio

*Wilhelmus Zeschius*

*S. S. Theol. D. Beverstadiæ in Ducatu Bre-  
mensi A. C. c19 13 c XXXI. VIII. Nov.*

*natus. Wertheimensium per XIV. Annos*

*Pastor & Superintendens. S. S. Litera-  
rum in Acad. Jenens. designatus Prof.*

*P. O. Ex Conjuge Anna Maria Cottii trium  
filiorum & filiarum quinq; parens D. III. Aug.*

*A. c19 13 c LXXXII. denatus una cum filia  
nata secunda virgine ornatissima Anna Sophia*

*Kunigunda D. III. Dec. A. c19 13 c XCII. et.*

*XXI pie defuncta nec non ex filia nata maxi-  
ma Agatha Wilhelmina Nepotibus Friderico*

*Wilhelmo nat. c19 13 c LXXXIV. d. XXIX.*

*Maji eodemq; den. Anna Margaretha n. a.*

*LXXXV. d. VI. Julii Anno seq. die XXVI.*

*Jul. den. & Jobanne Georgio n. a. XCI. d. X.*

*Mart. A. XCII. d. XIII. April. den. Züllichii.*

*qua ossa sub vicina huic loco humo resurre-*

*ctionem ad gloriam expectat. Socero*

*optimemerito affini desideratis-*

*me soboli dilectissima*

*M. P.*

*M. Mich. Züllichius*

*Æd. Mich. Ecclesiastes Ministerii Collega.*

## 43. VALENTIN. VELTHEMIVS.

N. Halæ Saxon. 1645. constituitur Jenæ 1679. Prof. Log. & Metaph. & 1683. loco Zeschii, seu mavis Musæi, Prof. Theolog. gener fuit b. Frischmuthii, & quia Philos. scholasticæ defensor acerrimus, erat Celeb. Pufendorffii hostis perpetuus obiit 1700. æt. 55. \*\*

\* Vide vitam Pufendorffii, tractatui de statu Imperii in Germania (edition germanic. Halæ 1715.) subject. p. 1294 - - - 1310.

\*\* Si plura de Velth. scire desideras adhibe *Pippingi* memor. Theol. p. 792. & *Zeumerum* l. c.

## 44. D. PHILIPPVS MVLLER.

N. Sangerhusæ in Thuringia 1640. fit Prof. Eloquentiæ & Poes. in Academia Jenensi, postea præpositus ad b. Mariæ virg. Magdeburgicus & denique in Academia Jenensi Prof. Theol. Ordin. & Sereniss. Saxon. Ducum Consil. Consist. & Ecclesiasticus † Jenæ 1713. mense Martii ætat. 73. cœlebs. \*

\* Vitam volenti pl. dabit *Zeumerus* l. c. & *Carpentarius* in tract. de eruditorum cœlibatu itemque b. *Grundmann* in urnis Litteratorum. Ao. 1713. defunctorum, quæ extant in *Miscell. Lips.* tom. VII. p. 371. seq.

Scripta recenset *Zeumerus* quibus adde 1) *observationes ad Bossueti expositionem doctrinæ catholicæ* Jenæ 1688. 8. 2) tract. *vom menschlichen Gewissen* Jenæ 1692. 8. 3) *Notas ad M. Pruckneri mille questiones de casibus conscientiæ* Noribergæ 1696. 8. 4) *Concordia sive LL. Symboli*



*bolicorum novam editionem cum præfat. notis & indicibus amplissimis Jenæ 1705. 4. quam editionem Dn. Richardi in monitoria fideli de libro Concordiæ contra objectiones diligentissimi & laboriosissimi Dn. Reineccii defendit &c. reliqua de hac controversia mitto, confer tamen Rel. Innox. A. 1709. p. 862. seq. Ceterum b. Mullerum autorem esse scripti *Fang des edlen Lebens durch fremde Glaubens-Ehe* vere asserit Cl. Heumannus in schediasm. de libris Anonym. & Pseudon. p. 32. Et ego non sine ratione auguror illum autorem esse libri, qui extat sub titulo *Königliche und Fürstliche Reise auf St. Erichs Straße* 1707. 8. 3. pl. item scripti, quod editum sub titulo *die im Gewissen gesuchte Rang-Ordnung edirt von einen Liebhaber der Billigkeit* 1706. in 8. 6. pl. Denique b. Mullerum typis quidem exscribi curasse *Chronicon Sangershusanum* & quædam alia, sed non in lucem emisisse mihi nonnemo retulit.*

45. D. JOH. WEISSENBORN.

N. Siglicii in præfectura Camburgensi 1645, primum Scholæ Evangelico Lutheranæ Smalcald. Rector, postea Gymnasii Evangel. Hildesienensis Director primus, dehinc ecclesiæ Erfurtensis prædicatorum Evangelicæ pastor primarius Gymnasiique ephorus. Ultimo consiliarius ecclesiasticus Saxo-Isenacensis S. S. Theol. designatus P. P. O., dioceseos Ienensis Superintendens, adfessor consistorii & Pastor in urbe & Academia primarius, obiit 1700. d. 20. April. \*

\* Brevis hæc *βιογραφία* extat sub icone b. Weissenbornii, qui plura cupit adire potest *Zeumerum* l. c. & *Pippingium* in Decade IX. Memor. Theol. num. VI.

46. D. JOH. PAVL. HEBENSTREITIVS.

N. Neostadii ad Orilam 1662. d. 25. Junii, primum Prof. Philos. Extraord. Jenæ, deinde Moralium ac politices ordin. tum Consiliarius consistorial. & 1701. Prof. Theol. Ord. ac denique 1705. Consiliarius Protosynedrialis & Synodalis, nec non Pastor & Inspector Dornburg. Ipse, cum paullo ante selectiss. suam Bibliothecam furore flammæ Dornburgi misere destructam dilaceratamque\* vidisset, obiit 1718. die 5. Maji Erfordiæ.\*\*

\* Quæ ergo destructio supplementum dedit ad *Bartholini* tr. de Bibliothecæ incendio, qui curis Dn. Andr. *Westphals* auctior 1709. Jenæ in 8. prodiit.

\*\* Vitam Hebestreitii consignarunt *Zeumerus* & autor der *Württembergischen Nebenstunden* part. IV.

47. D. MICHAEL. FOERTSCHIVS.

Theologus *ορθοδοξωτατος* sed moderatus, n. Werthemii 1654, studiis incumbit in Academia Argentoratensi, Jenensi, Helmstad. Lipsienfi & Altorfina, constituitur Durlaci diaconus & Professor Gymnasii, Ao. 1686. renunciatur Giesfæ Theol. D. & 1695. vocatur Prof. Theol. Tubingæ, 1705. autem obtinet eandem professionem in Academia Jenensi, quam huc usque cum rectoratu & decanatu Theologico, quoties ordo eum tetigit, magno cum laude ornavit.\*

\*Com-

\* Compara pl. *Zeumerum* & Dn. B. C. *Richardi* commentationem de vita & scriptis professorum 1710. in Academ. Jenens. publice docentium p. 1. Scriptis autem ab illis recensitis adnumera 1) *manuductionem ad Theologiam comparativam* Jena 1713. 4. 19. pl. 2) *Controversiarum sacrarum recentiorum nucleum & illustramenta* Jenæ 1710. 4. 1. Alp. 3. pl. 3) *Commentationem in epicrisin Langianam* Jena 1710. 4. 1. Alph. 6. pl. 4) *Alter und Herrlichkeit des Christenthums* Jenæ 1715. 8. 3. Al. 17. pl. 5) *Kurtzer Unterricht vom innerlichen Beruff, vom Lehr und Predigt-Amt* Jena 1715. 4. 5. pl. 6) *Deductionem brevem de statu controversie circa notitiam rerum sacrarum in irrogenitis* ib. 1712. 19. pl. &c. &c.

48. D. JOH. FRANCO. BVDDEVS.

Theologus & philosophus consummatissimus, vir pientissimus, qui omen vere in nomine Joh. habet, n. Anclami oppido Pomeraniæ 1667, Ao. ætat. XVII. proficiscitur Wittebergam, fit Adjunctus Facult. Philos. ibidem. Deinde se Jenam confert ubi disputat & docet, Ao. 1692. constituitur Prof. Græcæ & Latinæ linguæ in Gymnasio Coburgensi, ex quo sequenti anno Halam Saxonum ad professionem Ethices & Politices vocabatur. Tandem titulum & honores doctorales Halæ consecutus Jenam ad Professionem Theologicam vocatur 1705, quam huc usq; insigni rei literariæ & Ecclesiæ emolumento una cum rectoratu (quod tamen munus ultima vice modeste recusavit) & Decanatu Theologico egregie administravit. \*

\* Reliqua desideranti dabunt *Zeumer*, item *Ri-*

C 4

*char.*

*ebardi*. c. p. 6. seq. adde etiam *Fabricii* historiam  
bibl. Fabritianæ tom. III. p. 319. Scripta referunt  
*Zeum. & Rich.*, prostat quoque pecul. catalogus  
illorum 1712. edit & 1715. recusus quibus tamen va-  
ria addi possent, sed de scriptis Buddei alias.

49. D. IOH. ANDR. DANZ.

Philologus & exegeta nostris temporibus sine  
pari ac Theologus egregius, n. Sundhusæ agri  
Gothani pago 1654. studiis incumbit Wittebergæ  
Hamburgi, Lipsiæ & iterum Wittebergæ, tum  
Jenæ & Gieslæ, salutatur Francofurtum & tendens  
in Belgium aliquantisper subsistit Colonia Agri-  
pinæ, venit Lugdunum, Ultrajectum, Amstæ-  
lodanum, Londinum, Oxoniam & Cantabri-  
gam, revertitur Lugdunum, salutatur Francke-  
ram & Gronningam, venit Helmstadium & ite-  
rum Hamburgum, fit 1685. in Academia Jenen-  
si LL. O. O. P. P. Extraord. & 1686. Ordinarius,  
1710. Prof. Theol. Extraord. & paulo post Ordi-  
narius. Quæ munera magno cum Academia  
Jenensis ornamento perquam laudabiliter adhuc  
usque diem administravit, faxit, precor, Deus  
Opt. Max. ut vir hic præstantissimus in Acade-  
miæ Salanæ ornamentum & studiosorum emo-  
lumentum cum reliquis Academiae Jenensis Do-  
ctoribus vigeat, floreat atque splendeat per mul-  
tos adhuc annos. \*

\* *Zeumerus* p. 283. & *Richardi* p. 85. vitam  
& scripta Dn. Danzii pl. referunt, legi etiam in  
hanc in causam omnino meretur Celeb. Buddei  
programma, indicans lectiones cursorias, quas  
vocant, & disputationem inauguralem Dn. Dan-  
zii

zii. Ceterum, quod scripta attinet, ego ex instituto singula, alia occasione recensebo.

50. IESAIAS FRIDERICVS WEISSENBORN.

S. S. Theol. D. ejusque Professor P. Extraordinarius. Consiliarius Isenacensis Ecclesiasticus & Consistorialis in Academia Jenensi & Ecclesiae ibidem Antistes. Orator admodum egregius & alter Academiae Jenensis Goetzius. Natus Smalcaldiae 1673. d. XIV. Novembr. Patrem natus est virum maxime Rev. beatum *Johannem Weissenborn*, (de quo vide num. 45.) Matrem vero Feminam nobilissimam, sui que sexus ornamentum, *Mariam Sabinam*, Viri quondam Plur. Rev. *Joh. Friderici Hornii* Pastoris Roslauiensis quondam meritissimi, filiam natu maximam. Mox tertio abhinc die, XVI. scilicet Novembris sacro baptismatis fonti oblatus est. Hinc Parentum laudatorum curis mature pietate litterisque imbui coepit, ideoque praceptorum fidissimorum fidei tum in schola Smalcaldiensi, tum & temporis progressu in gymnasio Hildesensi fuit traditus. Horum itaque virorum ductu in virtutis, linguarum cardinalium, Oratoriae, Logicae, Chronologiae & partim Theologiae studiis eo proventus est, ut tandem etiam exercitiis disputatoriis gymnasticis utiliter simul adhiberetur, quosdam item commilitonum ipsemet in studio Logico cum fructu exerceret, eamque ob rem acrobasis Academicis dignus censeretur. Quare praecipitante Anno MDC XCI, cum Patrens Erfurtum vocatus concederet, idem pariter

Filius Electorali Academiae Erfurtensi se credidit. Et in hac Academia praeter ceteros clarissimos Professores, maxime usus est publicis ac privatis lectionibus virorum amplissimorum DN. M. IOHANNIS SAURMANNI, Lingg. Sacr. P. P. & M. VOLCKMARI GVILIELMI STENGERI, Polit. P. P. sub cuius quoque praesidio *Theses Philosophicas* publica disputatione defendit.

Quam diligentiam infractam Amplissima Facultas Philosophica contemplata Eidem Anno 1694. calendis Octobr. Decano & Promotore Viro Pl. Rev. & Amplissimo DN. M. GEORGIO ANDREA WOLLENHAUPTIO Moral. P. P. & Regularium Pastore, Summos in Philosophia Honores benevolentissime impertivit. Quo fiebat, ut & mature ingenii praecleari dotes tum *praesidendo* tum *docendo* feliciter exponeret. Speciatim *Dissertationes*, iudice beato Bechmanno in programme, exquisitas de *Sabbathi obligatione naturali, de Philosophia Natura, Causis, Divisione, Instrumentis, Methodo, Cultu, Fatis, Sedis* &c. conscripsit, suaeque praesidio tutatus est. Sed & collegia Logica, Metaphysica, Panosophica, Disputatoria numero auditorum haut contemnendo felici successu aperivit. Quemadmodum vero per omnem aetatem b. Parentem laudatum IOH. WEISSENBORNIVM Praeceptorem ac ducem praecipuum & continuum in omnium studiorum genere habuit; ita & ex Eiusdem collegiis Homileticis ac Theologicis, iisque in B. D. Dieterici Institutiones, in Compendium Theol.

ol. Museo-Baierianum &c. varie habitis profectus suos Theologicos laudabiliter auxit. Neque mirus in summis templis Evangelicis Erfurt. concionando auditus frequenter non sine plausu fuit, nec parum in Theologia sua orthodoxa confirmatus varia communicatione cum ipsis doctoribus pontificiis ibidem præcipuis, quorum sententiæ in Cœnobiis plus vice simplici veritatem Evangelicam modeste opposuit. His ita cum laude gestis relicta *Gerana*, Academiam *Salanam* 1697 adiit. Ubi Amplissima Facultas Philosophica illico illum benevole excepit, eique Cathedram superiorem aperuit, habita, ipso Præside, Disputatione *de Transubstantiatione etiam ex rationis principiis* confutata. Hinc non tantummodo plures disputationes ex eadem habuit cathedra, sed diversis etiam collegiis Philosophicis lectoriis ac disputatoriis, quin & collegii Theologici indultu, Homileticis cum non paucis e Juventute Academica magis magisque operam præstitit non contemnendam. Quibus specimini- bus præclaris laudata Facultas Philos. ultro inducta fuit numero Adjunctorum illum 1698. d. 8. Sept. adscribere; quem in ordinem & rite disputatione pro loco habita introductus est a b. GEORGIO SCHVBARTO Historiarum & Eloq. P. P. t. t. celeberrimo. Ex quo tempore & collegia modo memorata alacriter continuavit, & sex pariter disputationibus publicis sollenni programmate indictis Parentis sui nucleum Logicæ, ventilationi Academicæ, Respondente Christo- phoro

horo Weissenbornio postea F. P. Adjuncto & Gymnasii quod Eisenbergæ floret Inspectore nunc beato, præsidendo proposuit. Interim & studia Linguarum Sacrarum, duce celeberrimo DN. D. IOH. ANDR. DANZIO, & S. S. Theologiæ sub b. D. FRIDEM. BECHMANNI & b. D. VALENTINI VELTHEMII Theologorum Celebratissimorum manuductione, sedulo tractavit. Anno 1699. literis Systaticis Sereniss. Principum WILHELMI ERNESTI & JOHANNIS WILHELMI DUCVM SAXONIÆ, IVLIÆ, &c. AC NVTRITORVM ACADEMIÆ SALANÆ CLEMENTISSIMORVM comitatus, a Facultate Theologica summos in Theologia Honores modeste expetiit. Hinc in numerum S. S. Theol. Candidatorum cooptatus eodem anno die XIX. Novembris S. S. Theol. Licentiatus renunciatus ac proclamatus. Paulo post nempe 1700. statim post b. Parentis obitum Pastor ad S. Michaelis in hac Salana vocatus, eodem anno die VI. Junii officium illud magno totius civitatis plausu obiit. \* Mense Decembri

con-

\* Hic me nullo modo obtemperare valeo, quominus singularia quædam de vocatione Celeb. Dn. nostri Weissenbornii ex beati Parentis, Joh. Weissenbornii curriculo vitæ repetam, sunt autem sequentia: *Nach diesen hieß er ihn (sc. Pater filium) niederknien, seegnete ihn nochmals mit lauter Stimme, und beschloß diesen Seegen also: Sit hæc benedictio viva, vivida, sit rata in cœlis, per Jesum meum! Sey ein Joseph, sey ein Licht und Exempel*



consistorii simul Assessor constitutus est. A. 1710.  
 Consilarii Ecclesiastici dignitatem obtinuit, Et  
 1713.

empel der Deinen! Um deines Vaters willen wird dich GOTT die Furcht deines Vaters erhören: Bitte dir heute diesen Tag eine Bitte aus von GOTT, GOTT wird dich derselben gewähren, das weiß ich! - - -  
 - - Ich sagte er ferner, habe GOTTES Wort an dich, mein Sohn, gedencke daran, und ließ her, was bey dem Iesaias deines Namens Propheten, im sechsten Capitel stehet. Da nun der Sohn alsbald seinen Willen in Vorlesung erfüllte, und abgelesen ward der 8te vers: Und ich hörete die Stimme des HERRN das er sprach, wen soll ich senden? Wer will unser Bote seyn? Ich aber sprach: hie bin ich, sende mich; ließ er inne halten und sprach: Höre Sohn, da mich mein GOTT meines Amts und Seelen-Sorge hatte entlassen, war es nicht anders als höre ich, wie Iesaias, die Stimme des HERRN, daß er sprach: Wenn soll ich senden? wer will unser Bote seyn? Ich aber bat den HERRN für dich und sprach: Hie ist mein Sohn, sende diesen! Siehe so will dich nun dein GOTT senden du solst sein Knecht seyn, und wenn der HERR dir thun wird, wie er mir gesagt hat, so laß diese Worte dir ein Denckmahl seyn, und halte darüber auf der Cantzel, die ich verlasse, deine Antritts-Predigt, und wisse daß ich dir dein künfftiges Amt und noch mebres vom HERRN erbetben habe, &c. &c. O efficacissimum moribundi Patris vaticinium! O effatum notatu dignissimum! Perpende ac rimare illudector, & Levidentissime vides quod benedictio Patris sit benedictio Filii.

1713. die 1. Februarii in numerum Theologiae Professorum susceptus, Quae officia singula ad hunc usque diem laudabiliter ornavit atque ornat.

*Præstantissimi ingenii monumenta sunt sequentia:*

- 1) Disputatio philosophica de *Εὐδαιμονία* præside M. Volc. Guil. Stengero Erfurti 1694.  $\frac{1}{2}$  pl.
- 2) Disp. de Sabbathi obligatione naturali *Resp.* Joh. Abele Hopffen ibid. 1694. pl. 3. quam disputationem Deo Optimo Max. Præf. consecravit.
- 3) Disputatio quæ exhibet Museum Philosophiæ universæ spectatæ, enucleate sistens Ejusdem Naturam, Causas, Divisionem, Instrumenta, Methodum, Cultum item, Fata, Sectas & recentiorum Judicia *Resp.* Jo. Henr. Glönder, ib. 1696.
- 4) Disp. qua Transubstantiatio absurda, e genuinis Rationis principiis in pudorem suorum Assertorum ostenditur, *Resp.* Conr. Georg. Schomburgen Jenæ 1697. pl. 4.
- 5) Disp. Inauguralis de Gratia fideli certissima, sive an homo etiam in hac vita de gratia Dei & futura sua salute æterna per fidem certus esse queat Præside b. Dn. D. Fridem. Bechmanno Jenæ 1699. 13. pl.
- 6) Disp. qua infamia Babelis ab Ecclesia Evangelico Lutheranæ depellitur. *Resp.* Auctore Joh. Henrico Stoltenberg. ibid. 1715. pl. 7.
- 7) Disp. de Caritate pro infallibili veræ ac visibilis ecclesiæ nota non habenda *Resp.* Auctore M. Rudolph. VVitskopff. ibid. 1715. pl. 6 & sem. pl.
- 8) Disp. de Jactantia Romanæ Ecclesiæ, in præcipuo specimine scil. de discessione Principum Protestantium ad Ecclesiam Romanam perspecta *Resp.* Autore Christ. Henr. Storchio, ibid. 1717. pl. 6.
- 9) Disp. cui titul. Jesus pontificiorum cum Jesu Lutheranorum collatus, seu doctrina ecclesiæ Romanæ de Jesu ad Scripturæ Sacræ normam examinata *Resp.* Carl. Fuxtenavio. ibid. 1717.



